



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Anno Domini M. D. XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

ACTA ET

SCRIPTA MARTINI

LVTHERI, AB ANNO DOMINI M. D. XVII. vsque ad annum XLVI. Per Ioannem Cochleum Chronicè ad posteros denarrata.

ANNO DOMINI M. D. XVII.

MARTINVS Lutherus, natus Illebij anno domini 1483 * in Saxonia, sub Comitibus à Mäsfeldia, parètes habuit plebeios, ex familia Luderorum, parentem Ioannem, matrem Margaritam: Nomen Martini sortitus in baptismo, antiquo & patrio more, quod X. die Nouembris: quæ festum diui Martini præcellerat, natus esset notu. Quamuis verò multis annis antiqua consuetudine dictus fuerit cognomine Luder: quo & ipse in literis suis, etiã ad præcellentem Theologum D. Ioan. Eckium vsus est: maluit tamen postea dici Luther, quam Luder: ex eo forsitan, quod Luder apud Germanos parum honestum videtur esse vocabulum. Transcursa igitur domi post infantiam ætate puerili, cū esset cura parentum primis literarum elementis vtcunq; in schola oppidi illius imbutus,

A

* Hier. Calendarus 1483 22. Octob. hora 10. post meridiem.

Cognomen Lutheri.

Studia Lutheri in scholis

missus est inde Magdeburgū, vbi vno perman-
 sit anno. Inde Isenacum, Turingiæ oppidum,
 concedens, vbi gratiorem nactus præcepto-
 rem, Quatuor mansit annis. Eifordiam postea
 profectus, claram & amplam Turingiæ urbē,
 vbi celebris erat Academia, in philosophiæ
 studio Magisterij gradum, anno ætatis suæ vi-
 cesimo adeptus est, & quidem inter primos, vt
 ingenio studioque multos coæqualium ante-
 cellebat. Iuris deinde studium aggressus, cū
 esset in campo, fulminis ictu territus & pro-
 stratus, vt vulgo dicitur, aut interitu sodalis sui
 contristatus, huius mandii contemptu ingres-
 sus est repente, multis admirantibus, monaste-
 rium fratrum sancti Augustini, qui vulgo he-
 remitæ dicuntur, factaque ibi legitima, post an-
 num probationis, ordinis illius professione,
 strenue in studiis & exercitiis spiritualib⁹ mi-
 litauit ibi Deo annis quatuor. Tamen visus
 est fratribus, non nihil singularitatis habere, si-
 ue ex occulto aliquo cum dæmone commer-
 cio, siue ex morbo Comitiali: tum propter alia
 quædam indicia: tum præcipue, quod semel in
 Choro, cum in missa legeretur Euangelium,
 de eiecto à furdo & muto dæmonio, repete cō-
 ciderit, vociferans, Non sum, Non sum. Mul-
 torum itaque est opinio, eum occulta vsum ef-
 se familiaritate dæmonij cuiuspiam, quando-
 quidem & ipsemet talia de se aliquando scripse-
 rit, quæ lectori suspensionem de huiusmodi cō-
 mercio nefariæque societate ingerere possint.

Ait

*Monacha-
 rus Luth.*

*Commercium
 Luth. occultum
 cum dæmonio.*

Ait enim in quodam ad populum habito sermone, se bene cognoscere diabolum, & ab eo se vicissim bene cognitum esse, seque plus quam vnū frustū salis cū eo comedisse. Et proprium deinceps ædidi Germanicè librū, de Angulari (vt vocat) missa, vbi diaboli contra missam dispersionem, secum habitam noctu, commemorat. Sunt & alia non pauca hac de re argumenta, quod etiam corporaliter visus quibusdam fuerit cum eo cōuersari. Annō autem domini 1508. translatus est ex Erfordia Vuittembergam in alium eiusdem instituti conuētum, vbi publicè prælegit Dialecticè Physicēque Aristotelis: Nam recens erecta ibi erat, ab Electore Saxonie Duce Friderico, Academia seu publica studiorum Vniuersitas. Vbi autē post Triennium orta esset inter fratres ordinis sui discordia, eò quod septem Conuentus à Vicario per Germaniam generali in quibusdā dissentirent, ille à Conuentibus illis delectus in litis Procuratorem, Romam profectus est, eò quod esset acer ingenio, & ad contradicendum audax ac vehemens. Ea autem lite inter partes transactionibus, nescio quibus, composita & finita, ille Vuittembergam reuersus, in Theologia factus est cōsuetā celebritate Doctor, siue iussu & procuratione Ducis Saxonie Friderici, Electoris Principis, siue sumptibus cuiusdam matronæ, Vicarij fraude pecuniis interuersis. Quandoquidem illa certā pecuniæ summam, pro alterius fratris ad Docto-

Discordia inter fratres Aug.

Pecunia pro aula Doctorali fraude interuersa.

ratū promotū subsidio, deputauerat Nurenbergæ. Vnde factum est, vt frater ille, fraude intellecta, & pecunia illa sibi prærepta, præ dolore & indignatione aufugerit occulte: at nemo adhuc hodie sciat, quonā peruenerit. Lutherus autē Doctoratus titulo decoratus, & ordinariē in Theologia lectioni præfectus, cū esset acerrimus disputator, & vanæ gloriæ cupidus, non solū Vuitēbergæ inter Doctos præfulgere uoluit: Sed & Heidelbergā profectus, ingenij & eruditionis famā disputādo quæsiuit, dū noua themata proponeret. Accidit deinde, anno domini M. D. XVII. vt Leo Papa X. nouas diuulgaret per orbē indulgētias, occasione nouæ structuræ templi sancti Petri Romæ, quam antecessor eius Iulius Papa II. sumptuosissima inceperat magnificētia, morte autē præuentus, tantæ magnificētię opus perficere nō potuit. Extruxerat quidē templū illud (vt multa alia) religioso apparatu, & opere satis sumptuoso & magnifico Cōstātinus, Imperator potētissimus (quē nos magnū, antiqui Maximū dixerūt) diuersa ingētium columnarum (quales ætate nostra nō sūt) serie suffultum atque conspicuum: Quod tēporis (vt fit) diuturnitate labefactū, cū in plerisque partibus suis dehiscere ac ruinaminitari uideretur, Iulius Papa II. vir magnanimus, illud non tā reparare in uetustate col-lapsis partibus, & facta tecta rēficere (quod utinā maluisset) studuit, sed in maximā potius stupēdamque molem à nouo erigere cœpit: Vt est videre

*Acer in di-
sputando Lu-
therus.*

*Iulius Papa
II.*

videre adhuc hodie in iactis ab eo fundamē-
tis, & excelsis absidibus testudinibusque & colū-
nis, altissimarū turrū instar, sublimatis & in
aëra eductis. Ea nimirū cōsideratione, vt quē-
admodū ecclesia Romana potestate ac digni-
tate cunctis per orbē ecclesiis, propter verbum
Christi & principatū Petri, supereminet atque
præfulget: Ita & tēplū Petri, magnitudine stru-
cturæ & operis magnificentia, cæteris omni-
bus anteferretur, magisque conspicuum foret.

At Leo Papa X. vir liberalis, atque ad erogā-
das (ne dicam profundendas) quàm ad corro-
gandas ac quaritandas pecunias multo pro-
nior: cum esset tantæ structuræ sumptibus im-
par, & suis opibus tantarum impēsarum opus
ad complementum perducere non posset, vt
pio subsidio multorum adiutrices manus ac-
quireret, diulgauit indulgentias: sicut & ante
cum sæpius factum fuerat. Erat autem eo tē-
pore inter Germaniæ Prælatos Ecclesiasticos,
eminentissimus & dignitatis apice & Nataliū
splendore, Reuerendissimus Pater & illustris-
simus Princeps Albertus, Archiepiscopus Mo-
guntinus & Magdeburgensis, sanctæ Roma-
næ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis: Primas Ger-
maniæ, & sacri Romani Imperij Princeps Ele-
ctor: Marchio Brandenburgensis &c. Hunc igi-
tur speciali cōmissione præfecit Leo Papa X.
Indulgentiarum per Germaniam publicanda-
rū negotio. Is autē, etsi multorū cōsilio & sen-
tētia allumptus fuerat ad id negotiū, fratres or-

Leo Papa X.

*Albertus
Archiepi-
scopus Mar-
chio Brande-
burgensis.
Augusti-
nani indul-
gentiarum
predicatio-
res.*

Jo. Terzel.

dinis sancti Augustini Heremitarū: qui & ante
 perstrenuā ea in re operā, nō solū prædicā-
 do ad populos: sed etiā scribēdo & euulgando
 libros (quales sunt, verbi gratia, Cœli fodina &
 eius supplemētum) Sedi Apostolica: nauauē-
 rāt. Nisi Ioānes Terzellius, frater ordinis præ-
 dicatorum, magis idoneus quibusdā visus fuis-
 set, eò quod recēs esset tunc sermonum eius de
 indulgentiis memoria, quibus amplam per in-
 dulgentias pecuniā acquisiuerat fratribus san-
 ctæ Mariæ, Militaris ordinis Teuthonicorum
 dominorum in Liuonia, qui à Moscouitis &
 aliis vicinis hostib⁹ premebātur. Id vero quā
 ægerrime tulerūt fratres Augustiniani, in pri-
 mis Ioannes Staupitius, vir genere nobilis, fa-
 cundia & eruditione clarus, Generalis eorum
 per Germaniam Vicarius: & Martinus Luthe-
 rus, Theologiæ Doctor, Ordinarius Vuitten-
 bergensis, velut præcipui duo gregis sui Arie-
 tes, fama & autoritate celebres, & præ aliis
 conspicui. Erat Staupitius non solum gene-
 re nobilis, & ea ratione Saxonie Ducib⁹ (qui-
 bus eius cognatio subdita erat) cæteris charior
 & familiaritate notior: sed etiam ingenio ver-
 fatilis, & corporis forma atque statura conspi-
 cuus, Quin etiam in rebus agendis astutus &
 practicus, qui fauore & gratia multum vale-
 bat apud illustrissimum Principem Electorē,
 Saxonie Ducem, Fridericum. Qui præ multis
 pollebat Principibus aliis, autoritate, opi-
 bus, potentia, liberalitate, ac magnificentia.
 Quippe

*Io. Staupitius.**Dux Saxoniae Fridericus Elector.*

Quippe recēs instituerat magnis sumptib⁹ Aca-
 demiā Vuitēbergēsem, ad cuius icremētū lar-
 ga fundauit stipēdia, & amplis salariis accerse-
 bat vndiq; Doctos & ingeniosos homines, quos
 fama notos habebat. Erexit itē nouum Canonū
 Collegium, in quo Ionā prapōsitum, Ca-
 rolstadium Archidiaconū fecit: ipsum verò tē-
 plum, vocauit ecclesiā omnium sanctorum. In
 quod sane permulta vndiquaque cōgregauit
 sanctorum ossa, venerabilēque omnis generis
 reliquias, auro, argēto, & gemis preciosissime
 exōrnatas, quas & magnifico apparatu statis
 dieb⁹ publice populis ostēdi curauit: ita vt sum-
 mo pōtifici per quam religiosa & pia visa fue-
 rit eius liberalitas & magnificētia, Qui & fac-
 ile cōcedebat petēti quacunque priuilegia, prę-
 rogatiuas & imunitates, tum pro noua Vniuer-
 sitate scholę, tum pro nouo Canoniorū Col-
 legio. Huic igitur Principi familiarius insi-
 nuauit se Staupitius, instillās eius pectori fre-
 quētes idulgētiarum abusus, & Quęstorum at-
 que cōmissariorū scādala, quod illi per auaritiā
 veniarū & gratiarū prętextu, expilarēt Germa-
 niā, & quęrerēt quę sua sunt, nō quę Iesu Chri-
 sti. Lutherus verò ardētioris nature, magis que
 iniuriarū ipatiēs, arrepto calamo, mox ad supra-
 dictū Germanię Primatē Albertū scripsit indi-
 gnabūd⁹ epistolā. In qua sane, mox post captatā
 prefatione beneuolētiā, in hęc prorupit verba.
 Circūferūtur (inquit) idulgētię papales, sub tuo
 pręclarissimo tirulo, ad fabricā S. Petri. In qui-

*Staupitius
 ex iniuria in
 idulgētiis de-
 traxit.*

*Querela Lu-
 theri contra
 idulgētiis.*

b' nō adeo accuso prædicatorū exclamationes, quas nō audiui, sed doleo falsissimas intelligē-
 tias populi ex illis cōceptas, quas vulgo nudiq;
 iactāt videlicet, quod credūt ifœlices animę, si li-
 teras indulgētiarū redemerint, se securas esse de
 salute sua. Itē, Quod animę de Purgatorio statim
 enolent, vbi contributionem in cistam coniec-
 cerint. Et post pauca . Idcirco tacere hæc am-
 plius non potui. Non enim fit homo per nullū
 munus Episcopi securus de salute, cum nec per
 gratiā Dei infusam fiat securus . Sed semper in
 timore & tremore iubet nos operari salutē no-
 strā Apostolus. Et iustus (inquit Petrus) vix sal-
 uabitur. Deniq; tam arcta est via quæ ducit ad
 vitam, vt dominus per prophetas Amos & Za-
 chariam, saluandos appellet Torres, raptos de
 incendio. Et vbiq; dominus difficultatem sal-
 utis denūciat. Cur ergo per illas falsas veniarū
 fabulas & promissiones, prædicatores ea-
 rum faciunt populum securum & sine timore?
 Cum indulgentiæ prorsus nihil boni conferāt
 animabus ad salutem aut sanctitatem, sed tan-
 tummodo pœnam externam, olim Canonice
 imponi solitam, auferant. Hæc & id genus plu-
 ra ibi Lutherus, Ex Vuittenberga, in Vigilia
 oīm sanctorum, Anno Domini M. D. XVII.
 Quæ idcirco referimus, vt intelligat Lector,
 eam epistolam non tam ex animi sentētia, quā
 ex liuido inuidiæ affectu à Luthero scriptā esse:
 Cum nulla aliorum doctrina, tam securum de
 salute, & ad bona opera pigrum negligentem-
 que

*At lōge aliter
 de securitate
 salutis docuit
 Luth. in Ca.
 Baby. alijsq;
 scriptis suis.*

*Epistola ex
 liuore scripta.*

que reddiderit populum, quàm fecit noua doctrina Lutheri. Qui publice scripsit in Babylo- nico suo præludio, Tam diuitem esse hominẽ Christianum, vt etiam si velit, non possit perde- re salutem, nisi nolit credere: Nec vlla peccata eum damnare queant, eò quod per fidẽ in pro- misionem, quẽ baptizato facta sit, mox absor- beantur ac deleantur omnia peccata, modo cre- dat aut cogitet se baptizatum esse. Ille tamen non cõtentus priuatã misisse epistolã, in publi- cũ quoq; emulgauit 95. (quãquã in prima sche- da posueris 97) propositiones, quibus cõmunẽ & receptã de indulgentiis opinionẽ Ecclesiẽ q; *Animositas Terzelli.* sententiã impugnabat. Terzellius autẽ, qui Frã- cofordia ad Oderã fluiuium (vbi illustrissimus Princeps Elector, IOACHIM, Marchio Brandeburgensis, nouã quoq; circa idem tẽpus erexerat studi orũ Vniuersitatem) degebat, vbi illas vidit propositiones, Cũ esset indulgentia- rũ Prædicator famigeratus, & Cõmissarius A- postolicus, atq; etiã hæreticæ prauitatis in qui- sitor, ingenio ferox, & corpore robustus, indi- gne ferens Lutheri proteruã audaciã, vt par pari referret, Centũ & sex ædidit propositiones, qui *Propositiones de indulgen- tijs.* bus contrariã explicabat sententiã. Verbi gra- tia. Lutherus sic orsus est. Dominus & Magi- ster noster Iesus Christus, dicendo. Pœnitentiã agite &c. omnẽ vitã fidelium pœnitentiã esse vo- luit. Quod verbũ de Sacramentali pœnitentia Confessionis & Satisfactionis, quæ sacerdotũ ministerio celebratur, nõ potest intelligi. Non

tamen solam intendit interiorē: immo interior nulla est, nisi foris operetur varias carnis mortificationes &c. Contra hanc vero eius sententiam ita exorsus est Tetzellius. Dominus noster Iesus Christus, Sacramenta nouæ legis, ad quæ voluit cunctos obligari, post suam passionem & ascensionem, voluit etiã cunctos docere ante suam passionem, per aptissimam suam prædicationem. Quisquis ergo dicit, Christū, dum prædicauit, Pœnitentiã agite, sic docuisse pœnitentiã interiorẽ & exteriorẽ carnis mortificationem, vt non etiam docere vel cointelligere voluerit pœnitentiæ Sacramentum, eiusque partes Confessionem & Satisfactionẽ, tanquã obligatorias, errat: Immo nihil nũc iuuat, si interior pœna etiam operetur exteriorẽ mortificationẽ, nisi adsit factõ vel voto Confessio & Satisfactio &c. Hac itaque diuersa & contrariæ sententiæ propositionum ædificatione, visa est iam publicæ contestata inter hos duos Antagonistas esse lis turbulentiõ contentionis, quæ mox anno sequenti in apertum efflagrauit incendium: Quo pax & vnitas Ecclesiæ, maximo cum scandalo infirmorum, & animarum detrimẽto, turbata ac dissoluta fuit. Cõfidebat ingenio & eruditioni suæ Lutherus atq; etiã potentiæ & gratiæ sui Protectoris Ducis Friderici Electoris, & vafri Staupitij sui cõsilijs ac practicis: Cui cedere indignũ putabat Tetzellius, qui celebris erat fama Prædicationum, suffultus & sedis Apostolicæ cõmissione atque

Lis de indulgentiis inter Luth & Tetzellium.

atq; autoritate, atq; etiã Inquisitionis officio.

Acta & scripta Lutheri, Anno. M. D. XVIII.

L

Vtherus igitur, suorum fretus consilio, Latinum ædedit librum, cui huc præfixit titulum. Resolutiones disputationum de Indulgentiarum virtute &c. In quo quidem lib. 95. Conclusiones iuxta novam opinionem suam declarabat, non sane, ut Papam aut aduersarios suos sibi reconciliaret, aut placabiles redderet, quos acerrime eo ipso in libro plarumque impugnabat: sed ut Lectorem in partem raperet suam, miram simulans erga Romanum Pontificem humilitatem, subiectionemque ac reuerentiam. Vnde venabatur callide Lectorem & in se commiserationem, & in aduersarios odium. Fingebat enim se admodum reluctante & inuitum rapi ac protrahi in publicum, improbitate illorum. Dicebat ergo in præfatione ad Leonem X. Inuitus venio in publicum, præsertim ego indoctus, stupidus ingenio, *Ficta humilitas Luth.* vacuus eruditione. Sed cogit necessitas, me auferre strepere inter olores. Itaque quo & ipsos aduersarios mitigare, & desideria multorum expleam emitto ecce meas nugas. Et infra. Quare Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuarum B. offero, cum omnibus que sum & habeo: Viuifica, occide: voca, reuoca: approba, reproba, ut placuerit. Vocem tuam vocem Christi in te presentis & loquentis agnoscam: Si mortem merui, mori non recusabo.